

**Ordinis medicorum in Academia Vitebergensi H. T. decanus Johannes
Gottfried Leonhardi ... Panegyri medicam indicit de medicamentis flatum
ventris absorbentibus pauca simul praefatus.**

Contributors

Leonhardi, Johann Gottfried, 1746-1823.

Publication/Creation

[Vitembergae] : [Litteris Caroli Christ. Dürrii], [1784]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dzkshkex>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICORVM

IN

ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS

IOHANNES GOTTFRIED

LEONHARDI

PHILOSOPH. ET MEDICINAE DOCTOR PATHOL. ET CHIRVRG.
PROFESSOR PVBLICVS ORDIN. SOCIET. OECON.
LIPSIENSIS SODALIS

AD XVI DECEMBR. A. CIOCCCLXXXIII

PANEGYRIN MEDICAM

INDICIT

DE

MEDICAMENTIS FLATVM VENTRIS ABSORBENTIBVS

PAVCA SIMVL PRAEFATVS



Quamuis ventris flatuum, quos a canali cibario nunquam prorsus abesse constat,^{a)} in oeconomia animali non penitus nulla sit vtilitas, sed sicuti iam IOHANNES BAPTISTA HELMONTIVS,^{b)} vsu et obseruatione doctus, in intestino certe ileo agnouit, inque ventriculo et intestinis omnibus recepit ALBERTVS DE HALLER,^{c)} ad motum peristalticum suscitandum et conseruandum egregia efficacitas; quinimmo, quemadmodum et bene ominata ructuum in lienteria^{d)} atque flatuum in dysenteria^{e)} generatio et fere in sanissimis quotidianam alui depositionem praecedens flatuum explosio manifesto docent, ad omne digestionis aluinaeque excretionis negotium benefica cooperatio reperiatur: atque proinde nequaquam probari possit

A 2

a) Vid. FRID. HOFFMANNI *Syst. Med. Rat.* To. IV. P. II. Sect. II. cap. V. §. 12. GERH. VAN SWIETEN *Comment. in H. BOERHAAVII aphor.* To. II. p. 236.

b) *Tract. de flatibus* §. 37. ff. in *Oper. omn.* ex edit. MICH. BERNH. VALENTINI Hafn. 1707. 4. p. 404.

c) *Elem. Physiol.* To. VI. p. 298. To. VII. p. 104. 182. ff.

d) HIPPOCRATES *Aphor.* Lib. VI. 1. Ἐν τῆσι χρονίῃσι λιεντερίῃσι ὄξυρρογμία ἐπιγυνομένη, μὴ γυνομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

e) GEORG. BAGLIV. *Oper. omn.* Lugd. 1710. 4. p. 110. 176



sententia eorum, qui flatus quosuis vitio gigni morbosique quicquam prae se ferre autumant: nihilo tamen minus, quotiescunque flatus vel distentu mechanico ob copiam et molem, vel stimulo physico, quod vulgo parum fere perpendi solet, ob acrimoniam et mordacitatem alimentari tubo molesti euadunt libereque per eundem vltro citroque commeare prohibentur, incommoda inde vtique et numerosissima et atrocissima non ad primarum modo viarum canalem, sed ad omnes omnino corporis ventres et artus dimanare, certum aequae atque tralatiuum est. In quibus quidem incommodis malisque recensendis atque adeo in physopathologia ordinanda et illustranda, quo maiori cum cura atque industria praeter alios versati sunt, FRANCISCUS DE PAVLA COMBALVSIER, ^{f)} HENRICVS FRIDERICVS DELIVS ^{g)} atque CHRISTIANVS FRIDERICVS KADELBACHIVS ^{h)} eo minus necessarium est, nostram poni operam; quae potius iam in eo collocabitur, vt aduersus tantorum malorum fontes efficax idemque nouum remediorum genus, *medicamenta nimirum ventris flatum absorbentia* atque in iis ipsis aerologiae recentioris ad artem salutarem traductae specimen quoddam proponamus.

Appellamus vero *medicamenta flatum ventris absorbentia* illa, quae neque, vt euacuantia, cruditates ex quibus materia flatuosa euoluitur, e canali primarum viarum educunt, neque vt antispasmodica vias haecenus praecclusas et constrictas flatui exituro ampliant et patefaciunt, neque vt physagoga siue carmina-

f) In Pneumatopathologia s. tract. de flatulentis hum. corp. affectionibus. Par. 1747. 8.

g) Vid. eius diff. *Pathemata grauiora a flatuum causa occulta oriunda*; resp. Cl. MOHR. def. Erlang. 1759. 4. cuius versio vernacula ab Exp. I. A. G. GESNERO edita extat in *Fraenckischen Samml.* B. VI. Nurnb. 1762. 8. No. 34. auetior vero seorsim prodiit Norimb. 1766. 8.

h) Diff. quae inscripta est *Tympanitidis pathologia* resp. Cl. SCHVBERT. def. Lips. 1772. 4.



minatiua, motu peristaltico validiore excitato turgentes re-
tentosque flatus ipsos excutiunt, neque vel vt tonica fibras
primarum viarum musculares roborando, vel, vt corrigentia,
bilis reliquorumque humorum digerentium inertiam emendan-
do, flatuum prouentum minuunt, sed quae potius materiem
ipsam illam halituosam et aeriformem, quae ventris flatum
varium constituit, ita in se recipiunt, vt omnem suam consisten-
tiam elasticam indolemque irritantem deponat, ipsisque medi-
camentorum particulis vnita seorsim existere desinat; aut, vt
paucis omnia comprehendamus, quae flatuum principia ita at-
trahunt, figunt atque corrigunt, vt aegroti etiam sine flatuum
explosione ab ipsorum tamen molestissimis incommodis libe-
rentur.

Vtrum huiusmodi virtutis medicamenta vere reperian-
tur, solae quidem docere posse videntur obseruationes, ex ar-
tis salutaris exercitio petitae, a quibus ipsi quoque commone-
facti totamque rem edocti sumus. Quum enim in plerisque
aegrotis, qui non modo flatulentiae vitio frequenter corripiti
solerent, sed etiam, testantibus ventris tumore et borboryg-
mis, flatus vere tum conclusos gestarent, medicamenta varia,
acori morbofo corrigendo idonea, porrigeremus: saepius qui-
dem animaduertimus, esse inter ista quaedam, quae, quum
alia flatus vel pellerent vel adeo cum anxietate augerent, ven-
tris distenti detumescentiam obmurmurationumque silentium
sine omni potius strepente exclusione perficerent. In cuius
quidem euentus, aegrotis ipsis nonnullis memorabilis visi, caus-
sas veras inquirentibus nobis acquiescendum esse primo indi-
cauimus in ea explicatione, quod acore correcto spasma soluti
materiaeque aeriformi viae ita apertae fuerint, vt sine sonitu ela-
beretur. ¹⁾ At enimvero quum perpenderemus alia remedia
in acrimonia acida compefcenda alias aequae efficacia, in eun-



dem tamen modum neutiquam operari, aliam potius effectus caussam subesse suspicari coepimus; quumque quae de materia flatuum inprimis viis oberrantium laudabili variorum auctorum opera comperta habentur, quaeque per PRIESTLEII inprimis tentamina de nonnullorum corporum aeriformes substantias imbibendi et attrahendi vi inuenta et confirmata sunt, inuicem pariter atque cum nostris obseruationibus compararemus, de medicamentorum laudata ratione efficacium operatione, non aliter amplius statuere potuimus, quam, vt flatus eadem absor- bendo consumsisse arbitraremur.

Quod si cum GEORGIO ERNESTO STAHLIO^{k)} vniuer- sam de flatuum materie quaestionem otiosam medicoque inuti- lem iudicassent, aut ob cauillatorum forte quorundam scurri- lem petulantiam attingere dubitassent obseruatores: haud du- bie etiamnum cum auctore libri istius vetusti *περι Φύσεων*, qui inter Hippocraticos occurrit,^{l)} itemque cum IOHANNE FIE- NO^{m)} flatum merum aerem vulgarem esse ab omnibus crede- retur omnisque caussae huius morbificae materialis natura prorsus lateret. Verum enim vero inde ab HELMONTII tem- poribus in istam rem inquirere dignati sunt viri graues salutis- que corporis humani cupidissimi, quorum studiis intellectum est, aerem respirabilem siue communem ex earum quidem ma- terierum numero, quae ad flatuum generationem concurrunt, excludiⁿ⁾ nullo pacto posse: quandoquidem eius aliqua por- tio

k) Vid. EIVS *diff. de flatulentia*, resp. IO. ADAMO KYLBEL defens. Hal. 1708. §. 6. p. 11.

l) Πνύματα δὲ, τὰ μὲν ἐν τοῖσι σώμασι, φύσας καλέονται· τὰ τὲ ἔξω τῶν σωμα- τῶν, ἀήρ.

m) *De flatibus, humanum corpus molestantibus*, Comm. nouus et singularis Antw. 1582. 8.

n) Plane excludendum esse istum, scholarum receptis opinionibus paullo in- ferior censebat HELMONTIVS tract. de flatibus §. 49. scribens: *flatus nullatenus sunt aer*, quem §. 4. *gas ventosum* dixerat; itemque §. 10. *reuera in nobis nulli venti, nec ventorum materia*.



tio non modo in plerorumque ciborum interstitiis latitans, sed inter mastucandum quoque compagi ipsorum intertrita cum bolo in ventriculum necessario deferatur; ^{o)} sed longe tamen maiorem flatuum partem ab istis substantiis elasticis efformari, quas sicuti ex alimentis, tum vegetabilibus, tum animalibus extra corpus corruptio spontanea fermentatiã euoluit, duplicisque generis esse, alteram quidem acido aereo, alteram vero auræ inflammabili geminam, indubitatis experimentis constat, ^{p)} ita quoque intra primarum viarum officinam tum ex cibis et potibus dulcibus, mucilaginis gelatinosisque sub optima quoque digestionē, præcipue vero ex iisdem aut paullo auidius et copiosius ingurgitatis, aut in languentem ventriculum delatis, tum ex digestorum ciborum sordidis recrementis, quæ in intestinis crassis congeruntur, extricat calore humiditateque adiutus motus intestinus, itidem, vt iam HELMONTIVS ^{q)} adnotauit, licet variae modificationis, duplicis tamen potissimum formæ, alteram nimirum, quæ verum Gas syluestre acidumue aereum est et hinc flammam extinguit, alteram vero, quæ mephitin inflammabilem sistit et proinde a flamma accenditur. Maximam tamen omnino partem flatuosi spiritus constituere acidum aereum ex PRIESTLEII ^{r)} obseruationibus et experimentis colligere licet. Quum enim eximius iste obseruator ex carnis veruecinæ macilentæ frustulo, corruptioni putrescenti in apparatu pneumatico commisso, elasticæ siue aeriformis substantiæ vncias cum vndecim quartis vice-

ces-

^{o)} GERHARD. VAN SWIETEN l. c. p. 233.

^{p)} Vid. quæ de istis experimentis ab HENRICO CAVENDISH, DAVIDE MACBRIDE, IOHANNE FRID. CORVINO et IOSEPHO PRISTLEIO institutis retuli in adnot. ^{***}) ad MACQUERI chem. Woerterb. Th. II. p. 422. ff.

^{q)} l. c. §. 49.

^{r)} *Experim. and Observ. on different kinds of air* To. III. p. 344.



cesimis partibus duas obtinisset, iamque ex prioribus periculis intellexisset, non simplicem sed cum aere, ut vocat, fixo commixtam inflammabilem auram esse, utrisque studiosissime a se inuicem separatis, aeris fixi, siue acidi aerei uncias duas cum quindecim ducentesimis, inflammabilis contra aurae, quae his, ab vncis duabus et vndecim quartis vicesimis partibus deductis, restant, atque proinde totius massae aeriformis euolutae partem nondum penitus tertiam et tricesimam fuisse comperit. Sic etiam HENRICVS CAVENDISH ex panis computrefacti granis septem millibus sexcentis et quadraginta, quae solidae materiae grana circiter centum et sexaginta tria continebant, aeris fixi quidem quam plurimum, inflammabilis vero vnum modo granum obtinuit. s)

Quod si igitur, praeter paucum aerem communem inflammabilemque, reliquum omne elasticum elementum, quod ex cibis potibusque tum intra corpus, tum extra illud exsoluitur, acidum aereum est, illae substantiae cunctae, quae acidum istud imbibere possunt, medicamenta quoque flatum ventris absorbentia certo largiuntur. Ex quibus quidem, propter frequentissimum, cui indulsimus, usum, primo nobis nominanda venit

Magnesia salis amari calcinata. Quamuis enim neque *magnesia salis amari cruda*, neque medicamenta alia *terrea*, utpote quae acido aereo quidem scatent, eodem tamen neutiquam saturata sunt, istius efficaciae laude priuari possint, sed flatibus ructibus acidoque, quod ventriculi ardorem producit volatili et aereo imbibendo utique paria reperiantur: nihilo tamen minus, quum in viris hypochondriacis, feminis hystericis, infantibusque tenerioribus saepissime acor' primarum viarum liquidus et fixus peccaret, inque horum corporibus crebro confirmari

s) Vid. Philosoph. Transactions. 1766. p. 141. ff.

firmari deprehenderemus effatum FRIDERICI HÖFFMANNI,^{t)} quod magnesia cruda sub his conditionibus in frequentiore vsum ducta flatulentias et morificationes in imo ventre relinquere so- leat, atque huius effectus rationem facile nobis reddere liceret ex aereo acido magnesia aliorumque terreorum, inter conflictum cum acido morbofo efferuescendo liberato: lubentius coepimus magnesia calcinata vti, ab eaque non modo, vt recte monuit TORBERN BERGMANNVS^{u)} sine vlllo incommodo acidum mor- bosum domari, sed etiam illud commodum saepe obtineri vidi- mus, vt alius flatibus distenta et clausa detumesceret et sine vlla flatuosi spiritus exclusione aperiretur, ardorque ventriculi com- pesceretur efficacissime. Alterum medicamentum flatifugum, quod nobis vfu innotuit, est

Spiritus salis Ammoniaci causticus; cuius guttulae, quindecim, triginta aut quinquaginta ex aquae sesquiuncia haustae sicuti cra- pulam ebriosorum egregie discutunt, ita quoque in ructuosus hypochondriacis flatuosisque subitaneas haud raro praestiterunt inducias. Tertium denique remedium flatum absorbens offen- dimus in

Aqua calcis viuae, quae sicut notissimum est, in internos vsum ex ostrearum mytilorumque recens calcinatis testis paratur; cuiusque haustus inde ab vnciiis duabus ad libram dimidiam et vltra quotidie sensim ingesti magnam vtilitatem attulerunt illis, qui ex tenuitate humorum et laxitate solidarum partium flatulen- tia vitio obnoxii essent, ita tamen vt ex vfu diuturniori aluina excretio paullo tardius videretur succedere. Leniit tamen in ple- risque euidentissime ructuum incommoda et vomitus a flatulen- tia coortos et abdominis flatulentum meteorismum.

So-

t) Obseruatt. physico-chem. Lib. II. 2. Hal. 1736. 4. p. 112.

u) *De Magnesia* §. XXV. in Opusc. phys. et Chem. Vol. I. p. 403.



Sale Alcalino fixo caustico nunquam ad flatuum absorptionem vti sumus. Frequentius vero adhibuimus solutiones eius spirituosas siue *tincturas alcalinas et antimoniales causticas*, quae tamen, quum in officinis siue raro perfecte ab acido aereo liberae praeparentur, siue vix ab irruentis acidi aerei noua copula immunes seruari possint, rarius omnino votis nostris responderunt.

Ast, inquit forte nonnulli, quae nominata sunt medicamenta partem flatuum acidulam absorbere posse, etsi concedendum est: inflammabilis tamen vulgarisque aeris portionem, quae flatibus admista deprehenditur, ista certe imbibere nequeunt. Iam quod ista non possunt, possunt forte adusta, v. c. *carbones*, qui omne genus aeriformium substantiarum imbibunt,^{x)} atque his simillima, *fuligo, spodium, et glandes tostae*; quorum certe omnium ad spasmos, a causa flatulenta coortos leniendos haud exiguam vim esse aliorum pariter atque nostrae ipsorum obseruationes confirmant.

Caeterum horum medicamentorum commendatione tantum abest, vt reliqua, quae ad flatuum incommoda remouenda et praecauenda porrigi solent, remedia prorsus aboliri velimus, vt potius ipsi moneamus quoslibet, in dispositione flatulenta breuibus illis induciis, quae per laudata ista obtinentur eo minus fidentum esse, quo certius, nisi diaetae conuenientis sobrietate, crudidatum oportuna euacuatione, viriumque digestricium restitutione malo in consuetudinem iam adulto occurritur, quotidie noua flatuum congeries accumulari solet.

Sed haec haec tenus disputasse sufficiat. Veniendum enim est ad commendationem

VIRI

^{x)} Vid, animadu. meas adiectas MACQUERI chem. W. Th. II. p. 561.



VIRI

CLARISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
IOHANNIS GODOFREDI WEISSII

IVTREBOCENSIS · SAXONIS

MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI

cuius laudabiles in omni medicina profectus in examine a. d. xxii. mens. Maii A. c1818cclxxxiii. explorati ita sese ordini nostro commendarunt, vt precibus Ipsius humanissimis, quibus vt summorum in medicina honorum commodis eum locupletaremus, a nobis petiit, lubentissime annueremus. Communicamus iam cum lectoribus nostris Clarissimi Candidati vitae studiorumque rationes, quas hunc in modum litteris consignatas ab Ipso accepimus.

Ego IOANNES GODOFREDVS WEISSE lucem adspexi Iutrebogae d. xxviii Octobr. anno mdcclix. Patre vsus sum IOANNE GODOFREDO WEISSE, pannorum tonsore, quem vero praematura morte ereptum doleo. Mater autem ex gente Henecken mihi contigit optima, quam superstitem esse eo magis laetor, quo maiorem, quam ad tumulum vsque venerabor, in me educando fundamentisque christianae religionis imbuendo adhibuit operam. Annos pueriles adhuc agens priuatis institutionibus SCHERNHAVERI, Cantoris, viri de patria vrbe optime meriti, vsus sum, huiusque praeceptoris egregiae docendi methodo plurimum me debere gratus semper recordabor. Primis vero litterarum elegantiorum scientiis, quibus puerilis aetas erudiri solet, imbutus scholam frequentavi oppidanam praecipuosque habui SCHENCKIUM A. A. M.



ZENKERVM *Conrectorem*, DIESINGIVM *Rectorem viros humanitatis pariter atque litterarum laude insignes. Quorum virorum in me merita, quae debitis haud effere possum laudibus, animo semper prosequar gratissimo. Anno MDCCLXXV patrios lares relinquens Seruestam adii et REICHMANNO, Serenissimi Principis Seruestanorum Pharmocopolae aulico in arte pharmaceutica me instituendum tradidi isque vir optimus assidua manu ductione pharmaciam me fideliter docuit, ita ut palam profitear, eum hac ratione scientiae quoque medicae, cui cursu pharmaceutico peracto nauare operam apud animum statueram, felicia posuisse fundamenta. Praeterea etiam per omne tempus, ad hunc usque diem tantis me ornauit beneficiis, ut in ipso alter veluti parens mihi contigisse videatur. Anno MDCCLXXXI magna cupiditate ulterius artem colendi medicam flagrans, inclutam quae Vitembergae floret musarum sedem adii et a Summe Venerabili TITTMANNO tunc temporis Academiae fasces tenente, in numerum ciuium academicorum receptus sum. Medicorum igitur quibus alma haec musarum sedes gaudet, scholas tam publicas quam priuatas frequentavi. Illustris D. BOEHMERI eruditionis profundissimae pariter ac summa humanitatis laude florentissimi praelectionibus in Materiam medicam, Osteologiam, Pharmaciam, Therapiam generalem, formularum compositionem et principia Botanices interfui, ex cuius solidioris scientiae penu fructus in disputatoriis quoque exercitationibus percepi maximos. Excellentissimus D. NÜRNBERGERVS, facunditatis et scientiarum laude maxime conspicuus, totam mihi exposuit Physiologiam, Pathologiam, Chirurgiam, Clinicam, et ex illis institutionibus amplissimam hausi utilitatem. Excellentissimi D. LANGGUTH praelectionibus osteologicis, physiologicis, pathologicis, myologicis, splanchnologicis et medico-forensibus interfui, palamque mihi ex illis doctrinis com-*

parasse



parasse commoda certe maxima profiteor. Excellentissimi denique TITII disciplinis omnem, quam percepi theoreticam atque practicam physices notitiam debeo, insimulque historiam naturalem atque Zoologiam ab ipso traditam audire maximo mihi fuit commodo. Ex ore autem Clariss. HILLERI suauissimo philosophiam percepi eiusque scholis adfuisse maximo perfundor gaudio, Quibus omnibus Viris, toto litterarum orbe inclutis, praeceptoribus meis ad cineres usque pie deuenerandis gratias ago pro tantis, quibus me cumularunt beneuolentiae monumentis, quas possum maximas summumque numen precor ut per longam annorum seriem dulcia sint decora almae vniuersitatis Vitembergensium. Hanc vero occasionem haud praetermittam quin litterarum patriae urbis statoribus et imprimis stipendiorum collatoribus pro munificentia, qua me in sumptibus studiorum comparandis benigne subleuarunt, grates persoluant maximas. Cursu academico Vitembergae absoluto anno MDCCLXXXII exeunte Berolinum me contuli ibique administrationem anatomicam et artem obstetriciam, quantum per vires ingenii licuit, addiscere allaboravi nec alias medicinae partes excolendi mihi defuit copia. Imprimis vero Exc. WALTHERO, amplissimae famae Viro et maximopere de me merito multum debeo. Magna denique iucunditate Exc. FALCKENBERGII e viuis iam sublatis manu ductio- nis in anatome recordor. Artem obstetriciam me docuit Exc. VOITVS cuius viri, quem ea in arte magnam sibi famam comparasse constat, institutionibus et ad lectos parturientium exercitationes magnam attulere mihi vtilitatem, Berolino autem decedens iterum Vitembergam redii et gratiosum Academiae huius medicorum ordinem sollicitavi, ut meis in medicina profectibus exploratis atque probatis ad summos in medicina honores aditum mihi concederent. Quum vero per varia impedimenta votorum meorum compos fieri nondum pos-



*rem, medicinae faciendae iuribus ab Illustri hoc ordine mihi interea datis ita
usus sum, ut Seruesstae aegrorum meae sese curae committentium valetudini
prospicerem.*

Iam vero ex voto superatis omnibus obstaculis in eo est
Candidatus noster, ut honores promeritos tandem capessere pos-
sit. Defendenda tamen est antea adhuc ab Ipso dissertatio inau-
guralis *de uteri structura non musculoſa sed celluloso-vasculari*, cuius
ipse Auctor est, praeside Viro Excellentissimo atque Doctissimo
GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO, Ordinis nostri et totius
Academiae seniore, Therapiae Professore Ordinario, Collega maxi-
me suspiciendo atque coniunctissimo; die, quam ipso diximus
mensis huius XVI. Cui quidem solemnitati inaugurali ut RECTOR
ACADEMIAE MAGNIFICVS, PATRES CONSCRIPTI, OMNIUM
ORDINVM DOCTORES ET LICENTIATI, SACRORVM ANTISTI-
TES, LITTERARVMQVE CVLTORES ET FAVTORES praesentia
sua maiorem splendoris gradum addere velint, omni, qua pos-
sumus humanitate precamur. P. P. Dominica III Aduentus
A. C. CIOICCLXXXIV

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII

